

In litore solus

Constiterat maris ille silenti in litore solus:
undarum lenes motus spectabat, arenam
quae tangunt primam refluantque statim velut albae
a mulcente manu tenerae timidaeque columbae.
5 Aequor pura quies amplectens mite tenebat,
aether fulgebat diffusa luce diei.
Caerula plana super pelagi cunctantia vela
stabant pauca, rotas mergis volventibus alte.
Solus erat. Surgebat at intus temporis acti
10 quae semper iuxta consecrabatur imago
in mentem referens seu candida seu nigra vitae.
Ille marina non erat ista natus in ora:
montibus, occiduum solem qui vespere celant,
e patriis contra nuper descenderat illuc,
15 mensis Aprilis cum terram vaste furibundam
viderat insanire maligno fomite pulsam.
Iam terram vero tantum dilexerat ante
eius avi quantum. Puerum didicisse paternam
artem se laetus narrabat rura colendi.
20 Arvis addiderat decus et pomaria ponens
ditia, nec raro lympha sua prata rigando
armentis gratam stationem tempore verno,
tauris cornigeris, vitulis roseisque iuvenis
mammis atque ovibus lanoso vellere onustis.
25 Post casulam veterem fecundum saepserat hortum,
rivi lactucas ubi alebant ordine molles,
et fragrans apium rugosa cucurbita fulta
macerie custos ut sedula tutabatur.
Terra operis pridem felix et semper amata
30 cur igitur tanta rabie suscenderat iras?
Adgrediens cur vindicis os adsumpserat acre?

Quid culpae, quid erat sibi, quid reliquis tribuendum
ruricolis? Omnes terrae unquam praeter amorem
nil dederant. Alii, verum est, silvas viridantes
35 sternere non dubitant, alii moles fabricare
vivi in glaebis, alii foedare venenis
flumina pestiferis misere candentia spumis.
Talia iure movent terram tam barbara laesam,
non iustum tamen est insontes reddere poenam
40 infamesque piis commixtos adsimilari.
Litore homo stans haec commota mente agitabat
dum dolor exsuperans animum transfigit amarus.
" Hoc mare pacificum - secum dicebat - et ample
ridens et, cum sic requiescit, non inimicum
45 nec muros rumpit nec tecta superna revellit,
nec sedes hominum vastans labefactat inique.
Ne tamen ira flagret! Si quando surgit et ipsum
inflaturque minax salibusque furentibus instat,
omnia fauce fera deglutit saeviter urgens,
50 permagnas pariter naves ac parvula ligna.
Concessum minus est certe viventibus usquam
securus procedere sorte bona fructos, nec
pax alicunde favet mundi mortalibus alma."
Occasum respexit. Ibi clinamine colles
55 ad montes longo adscendebant leniter altos,
post vanescebant montes per nubila summi.
Ecce locos linquens proceros venerat inde
ad fines imos Hadriae qui limina signant.
Solutus inivit iter percussa ex urbe domusque
60 prolapsae circum saxis in pulvere sparsis.
Per multos annos terram coluisse labore
iuverat adsiduas operas per aprica patrando.
Venerat aetas at gravior cum pondus agendi
opprimit et manuum vires et membra fatigat.
65 Tunc requies potior quam pristina sedula cura:

instrumenta erat hoc tandem deponere tempus.
 Omnia paulatim ruralia vendidit ergo
 maestus non primo quaerenti sed spectato
 si quis plantarum pecudumque niteret amore.
 70 Sic alius dominus casulam possedit et hortum,
 non eadem manus emptori fructus dedit abhinc.
 Congesto argento is statuit sibi in urbe parare
 nidum quo placidos postremos degeret annos.
 Urbs erat illa vetus valde, quam nomen adornat
 75 pendentis volucris fortes regaliter alas.
 Dona Aquilam laetam faciebant, prodiga virtus
 naturae quae illi donaverat : et levis aer
 temperiem moderans caeli dum Sirius ardet,
 fontibus absque novem nonagintaque profusa
 80 lenimen labiis sitientibus unda perennis.
 Insigni adpectu exstabant antiquitus aevum
 ad nostrum miranda palatia templaque multa
 inter quae caput extollens memorem pietatem
 unum ostendebat populi Sanctis Animabus.
 85 Undique conveniebat eo studiosa iuventus
 arcessebat quam doctorum clara loquella.
 Aedes hospitium praebebant quamvis onustae
 lustris, gaudia magna sodalicio generante.
 Hoc urbi decus augebat: toti regioni
 90 quod praestans omnes alias urbes superabat
 imperitans tamen haud rigido dictamine legis,
 nobilitas contra quoniam obsequium pariebat.
 Partem per mediam currebat rete viarum
 signa vetustatis quae maxima conservabant.
 95 In plateis pueri ludebant mille iocis se
 tradentes hilaris dum clamor ad alta levatur.
 Ludebant risum effundebant atque serenum
 ignari sortis caecae mala dona ferentis.
 Magnum tendebat Saxum haud longe latus ingens

- 100 intrepidum stimulans studium montana adeundi
culmina per saltus facili vel tramite longo.
Descendebat post occasum vox pia centum
campanarum cui vox lusciniae resonabat
maestitiam modulans et laetitia variata.
- 105 At reserabantur tenebris tum limina caeli:
sidera scandebant purissima concava mundi
aera per liquidum vitrea fere limpидitate
et naturam pax immensa tenebat ubique
invitans somnos aurataque somnia ducens.
- 110 Terra beata quidem, nutrix generosa virorum!
Edidit in lucem iam plurima tempore prisco
ingeniorum lumina quae patriam decorarunt:
sunt sapientes¹ nec non quorum carmina cantant²
atque nitent pictae tabulae multa arte loquentes³.
- 115 Saecula nonne futura orientur fulgida rursum?
Nonne pari splendore micabit Marsica tellus?
Tale tamen nil is volvebat mente modesta
simplex ad vitam qui se vertebat et expers
difficilis sensus cuiusvis. Carpere at horas
- 120 unica lex erat in complendo munera semper.
Asper sed clavus nonnunquam cor cruciabat:
non sibi se uxorem vinclo iunxisse tenaci
quo gigni posset suboles, solacia vitae.
Cur hoc? Responsus non certus et ardua quaestio est.
- 125 Femineas dotes non despiciebat et ipsa
alterius sexus species oculis erat immo
delectatio taedia nec male grata ferebat.
Strinxerit interior timor insuperabile frenum
forsitan audaces aditus prohibens pudibundo.
- 130 Non facies turpis, non gibbo curva figura,
calvities frontem non dilatabat iniqua.

¹ ex.gr. B.Croce

² ex. gr.: G.D'Annunzio

- Nonnullis poterat mulieribus esse maritus
 fidus, honestus, amans, dum quaesivisset amorem.
 Facta retro poterant autem minime revocari:
 135 caelebs sic fuerat, caelebs quasi sponte coactus.
 Nunquam illum pulchrae foverunt oscula nuptae,
 nunquam natorum cinxerunt brachia pectus.
 Sana valetudo durabat integra contra
 morborum insidiasque molestaque damna senectae.
 140 Solibus aestivis gaudebat corpore adusto
 robusto brumisque hiemalibus inviolato
 dum segetes curat curatque oleas pretiosas,
 vel glaebas clausas denti submittit aratri.
 Quot momenta operosa, labores quot bene latos!
 145 Praeteritos annos suavis memorare voluptas
 tristitiam redolens. Sed non animi superari
 et vigor et firmi quibat constantia cordis.
 Gratificans illi expectatio erat prope semper:
 sub tecto transire novo ultima tempora vitae.
 150 Otia post transacta foris illa quoque luce
 dulce fuit repetisse domum crescente sub umbra,
 coepit et in molli placide dormire cubili
 stellae dum tacitum observant mundum vigilantes.
 Rupta sed alta quies, praesagia nec patuerunt.
 155 Noctu principium fuit aerumnae. Trepidanter
 crudelem noctem nunc mens totam revocabat.
 Vespere iam scandente vias caeli aura tepebat
 alliciens passus insomnes noctivagorum.
 Complures autem in lectis cedentia membra
 160 laxarant oculis clausis sub pondere somni.
 Circiter obscuras luga texebant nemorosa
 umbras ante opalum quo cingitur ultima luna
 visu prospectans curvo ad primordia lucis.
 Omnia blandas per tenebras sopita iacebant.

³ ex. gr.: D.G.Rossetti, F.P.Michetti

165 Sed subito valles elataque murmur oberrans
percurrit graviter, contactis sensibus horror.
Audivit quamvis submersus et ille sopore.
Haec voces natura videtur mittere ab antris
secretis tangunt quae arcano tramite corda.

170 "Hic fremitus quid erat? - secum quaerebat - et unde
excitus errabat? Quis multa nocte susurrat?
Forte monebat nos ignotum numen amicum,
aut lectum leviter stringebat larva vetusta,
inter avos si quem iuvit vidisse nepotes.

175 Quid novisse valet? Satis hoc. Mox obliviscar."
Olivisci non potuit tamen. Alter obortus
heu tremor exsiluit, paries neque restitit ullus.
Spissi tum muri tabulataque dura cadebant,
ossa domus quassata tremebant sicut in aegro

180 corpore membra tremunt gelidae propter febris aestum.
Enormes rimae serpebant qualibet intra,
atra cinis sparsim fuscabat et aera densum,
hinc vitra dum crepitant hinc ingemit alta ruina.
Iamque vacillabant scalae. Nihilominus ille

185 correptis soccis fugiens rapide sine amictu
portam transgressus citus in aperta volavit.
Plurima erat clamans ploransque miserrima turba:
undique terribiles retonabant usque fragores.
Hostili impulsu violenter quaeque movebat

190 terra ferox saeve truncans, neque pausa subibat.
Denique paulatim bellum cessavit. Odores
halabant foedi, gemitus per rudera raucos
echo portans "pro dolor" atque "eheu" replicabat.
Mille oculi quavis vagulantes prospiciebant,

195 credere nec poterant quae non credenda putantur.
Debilior lunae splendebat lucida falx quam
extenuabat nunc aurorae pallor inalbans.
Ecce dies. Cui sunt alii vice deinde secuti

tormentis gravidi, maerore metuque referti.
200 Corpora defodienda medendaque vulnera, rerum
fractarum cumuli, saxorum congeries ac
lamentans fatum crudum sermo lacrimosus,
innumeri luctus, onerosa incommoda, terror
motus ob terrae renovatos. Sufficiant haec.
205 Ante hominem mare non submotum sorte nefasta
humanae stirpi vultum fortem ostendebat.
Mirandum immensum! Firmato pectore avebat
ille iterum porro filum connectere vitae.
Litus ad hoc comitante malo confugerat atque
210 hospitium dederat generosi cura sodalis
accipientis eum miserandum nempe benigne.
Postquam momentum spoliaverat omnia, habebat
mundum pro patria, tecti pro tegmine caelum.
Dorso quippe manus oculos deterisit et unum
215 adspexit super alta maris velum fugitivum
caerula plana petens audax, mox ultra aditurum.
Sic regit ad portum spes, numquam torpida, proram.